



cap. Publico 7. de *Convers. conjug.* post matrimonium ratum, non consumatum concedere conjugibus bimestre ad deliberandum de meliori statu, videlicet de ingressu Religionis, ita ut intra bimestre possit unus conjugum, etiam altero invito, ad Religionem transire, si matrimonium non consumavit.

Et tunc conjux superstes, ut ad alias nuptias transeat, expectare debet professionem illius; ita ut, si sponsa etatis duodecim annorum post matrimonium ratum, sit Religionem ingressa, conjux superstes expectare deberet per quatuor annos, cum non possit sponsa ante annum 16. expletum ex Trid. validam professionem emittere; & tunc matrimonium ratum dissolvitur quoad vinculum.

4255. Elapso autem bimestri conjux tenetur sub mortali reddere debitum; quia tunc incipit jus ad petendum; unde peccat, si petenti neget. Vide num. 1404. At est ei liberum Religionem ingredi, & in ea profiteri, etiam si plures anni in matrimonio rato præcesserint, ob privilegium Religionis de dissolvendo matrimonio rato, ut dictum est ex Trid.

4256. Quod privilegium est divinum, acceptum ab Apostolis, & in Ecclesia per traditionem retentum ad favorem majoris perfectionis.

4257. At non conceditur Ordini Sacro: unde matrimonium ratum non dissolvitur per Ordinem Sacrum supervenientem, ut est definitum à Joan. XXII. in Extrav. Nec per Episcopatum; adeoque sic contra voluntatem uxoris ordinatus, justè potest ab ea revocari, ad quemcumque gradum evectus, & ille tenetur, vel Religionem ingredi, & in ea profiteri, vel ad uxorem redire, reddendo, & non petendo debitum, ob votum castitatis, quod quoad partem petendi, uxori non præjudicavit, & servari potest.

4258. Bimestre computari debet à puncto rati matrimonii, ad punctum, quod finit.

4259. Quo finito, si conjux prætextu ingressus Religionis cohabitationem, aut redditionem debiti differat, tunc potest à Judice Ecclesiastico, circumstantiis consideratis, assignato rationabili, ac peremptorio termino, & cautione exacta, compelli, etiam per censuras Religionem ingredi, aut cum altero conjuge matrimonialiter cohabitare.

4260. Si vir intra bimestre ad deliberandum consentium; violentem; aut metu cadente in virum constantem; uxorem cognoscat, non potest amplius ipse, bene verò sponsa Religionem ingredi, quia dolus, & culpa sponsi non potest præjudicare sponsæ, nisi ex tali concubitu suscepta sit proles, & non sit alia persona, quæ eam commodè educare possit, tunc namque sponsa per accidens impeditur à Religionis ingressu.

4261. Quo impedimento accidentali secluso, etiam si sponsa professionem emisit, non potest conjux, qui eam coegit, ad secundas nuptias transire;

quia licet coactè, verè matrimonium consumavit. Vide num. 4250.

4262. Si verò conjux eam renitentem vi cognovit post bimestre, non potest sponsa Religionem ingredi; quia elapso bimestri tenebatur ex justitia reddere, & sponsus cogendo, usus est jure suo; unde matrimonium fuit justè consumatum. Piching. lib. 3. *Deer. tit. 36. de Convers. conjug.*

## CAPUT IV.

## DE IMPEDIMENTO ACTUS CONJUGALIS

ex voto, aut castitate

4263. QUI post votum non nubendi, matrimonium contrahit; peccat nubendo; ac postquam nupsit, potest petere, & reddere, quia voto non nubendi opponitur contrahere, minime consumare; & matrimonio contracto, jam est factus impotens ad votum.

4264. Qui vovit Religionem, aut suscipere Ordinem Sacrum, non tenetur ad castitatem, antequam professionem emittat, aut Ordinem suscipiat; quia non proinde votum castitatis emisit.

4265. Discrimen autem inter hæc duo vota Religionis, & Ordinis sacri consistit in hoc, quod qui vovit Religionem, si nubat; peccat nubendo, & prima vice consumando, sive petendo, sive reddendo; peccat quidem nubendo; quia transgreditur votum Religionis cum nuptiis impossibile; peccat prima vice consumando; quia est ei liberum Religionem ingredi, & ad id ante consumationem tenetur, cum professio Religiosa matrimonium ratum dissolvat.

At matrimonio prima vice, etiam intra bimestre, consumato, potest petere debitum; quia haud amplius est impeditus; non voto castitatis, quia votum Religionis non est votum castitatis; nec voto Religionis, quia matrimonio semel consumato, non potest Religionem ingredi, nisi in casu adulterii, & tunc petere non possit, nec reddere, sed teneatur votum implere per ingressum Religionis, ad quem etiam tenetur, mortua uxore. Unde in casu adulterii prima vice petendo, aut reddendo peccaret, non postea; quia per remissionem factam amisit jus ad Religionis ingressum, vivente uxore.

4266. De eo, qui vovit suscipere Ordines Sacros, eodem modo discurrunt *Rodr. & Ledesma* volentes, quod antequam consumer, teneatur ingredi Religionem; ad ibi suscipiendos Ordines, & sic peccet consumando.

At oppositum dico cum Leandro de Matr. tract. 11. disp. 25. q. 70. Anton. à Spir. S. de Matr. tract. 11. disp. 9. sect. 7. & aliis. Rigidum enim mihi videtur, eum qui vovit Ordines Sacros, obligare ultra intentionem ad statum tam difficilem, qualis est status Religionis, & contra regulas generales jura-

men-

menti, & voti à num. 1669.

Hic igitur peccat solum nubendo; non consumando; etiam petendo; quia nubendo factus est impotens ad votum implendum; nam Ordo Sacer non dissolvit matrimonium ratum antea contractum; habet enim vim, quæ non potest dissolvere.

In casu autem, quod alter conjux adulterium committat, tunc tenetur implere votum suscipiendi Ordines Sacros, nec potest ulterius petere, aut reddere; quia cum adulter amiserit jus ad petendum, est ei liberum non petere, nec reddere, & sic votum implere.

4267. Qui vovit castitatem, si nubat, peccat item peccat prima vice consumando, etiam reddendo intra bimestre; quia intra bimestre, & matrimonio non jam consumato, cum alter conjux non habeat jus petendi, potest negare, si velit Religionem ingredi.

Matrimonio tamen jam consumato, aut bimestri elapso, potest reddere; quia alter conjux habet jus ad petendum; & ipse non tenetur Religionem ingredi; imò post consumationem non potest. Petere autem nunquam potest, nec intra, nec post bimestre. Trullench. in *Decal. cap. 2. lib. 2. d. 25. num. 4.* Excipe, nisi petat, ob periculum incontinentiæ, quod prævidet in altero conjuge, vel quando non in gratiam sui, sed alterius conjugis, quæ præ verrecundia non petit: hoc enim non est propriè petere, sed reddere. Ita Trullench. cit. num. 3. Ant. à Spir. S. de Matr. 11. disp. 9. sect. 7. cum aliis. Ratio est, quia votum simplex castitatis non dirimit, sed impedit matrimonium; unde qui cum eo contrahit, tenetur illud servare quoad partem, quam potest, quæ sibi libera est; adeoque non potest petere; quia hoc est sibi liberum; at tenetur reddere, quod non est sibi liberum, cum spectet ad jus alterius conjugis, cui præjudicare non potest.

4268. Qui castitatem vovit, non tenetur (licet sit ei liberum) Religionem ingredi ante consumationem, etiam intra bimestre, ob dicta num.

4266. Et ostenditur à fortiori ex Extrav. Joan. XXII. *Antique, de Voto.* Ubi definit Pontifex, ut qui post matrimonium non consumatum promotus est ad Ordines Sacros, moneatur ad Religionis ingressum: si verò renuerit, & sponsa insisterit, compellatur per censuram ad consumandum matrimonium contractum.

4269. Pariter conjux, qui post matrimonium, votum castitatis, etiam sine alterius consensu emisit, non potest petere, sed tenetur reddere.

4270. Uterque, qui scilicet votum castitatis emisit ante, aut post matrimonium, in casu adulterii alterius conjugis, nec potest petere, nec reddere; quia tunc utraque pars est ei libera, nisi remittat, aut simile delictum committat. Remittendo autem peccat, quia fit impotens ad implendum votum. At post remissionem, non peccat reddendo; quia jam conjux delinquens est restituta in suo jure petendi, &

mortua uxore, tenetur ad votum, ita ut iterum peccet, si nubat, uti supra.

4271. Sanchez lib. 9. de Matr. disp. 35. num. 28. affirmat, eum, qui post matrimonium, votum castitatis emisit, posse reddere in casu adulterii, & mortua uxore, nubere; quia votum castitatis, quoad partem reddendi fuit nullum.

At rectius cum Leandro cit. q. 75. Dico, hoc esse verum de voto non petendi, quod quidem est compossibile cum matrimonio; at votum castitatis utramque partem comprehendit, & in casu petitionem semper, redditionem vero, quando jus alterius conjugis fuerit impeditum; cujusmodi est in casu adulterii, aut mortis illius. Unde tunc votum castitatis, quoad partem reddendi est nullum, pro quando alter conjux habet jus petendi; est validum, pro quando illud amittit.

## CAPUT X.

## DE DIVORTIO.

4272. Divortium est, separatio conjugum quoad thorum, & habitationem; conjugii vinculo permanente.

4273. Est duplex, perpetuum, & ad tempus. Perpetuum fit causa adulterii, cap. *Gautemus, & cap. Ex literis, de Divortio.* Ad tempus est, quod fit ob alias causas, de quibus modò.

4274. Divortium perpetuum à divortio ad tempus differt per hoc; quod in divortio perpetuo potest conjux innocens, si velit, castitatem in saeculo vovere, Ordines Sacros suscipere, aut in Religione profiteri, permanente semper vinculo matrimonii, quod quidem, si est consumatum, in nullo casu dissolvitur ex num. 4250. Ea autem fieri non possunt in divortio ad tempus.

Divortium fieri non potest autoritate privata, sed fieri debet autoritate Judicis Ecclesiastici, causa probata.

4275. In casu adulterii, si sit publicum, Pontificus lib. 9. de Matr. cap. 18. Fenech. de Divortio, Riccius, & alii contra Sanchez tenent, fieri posse propria autoritate. At rectius Clericatus cap. 146. num. 10. docet, Doctores affirmantes esse intelligendos de foro interno, minime de externo.

4276. Divortium perpetuum est permittum ob adulterium Jure Divino, Matth. 15. *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, machatur.*

4277. Nominè adulterii ad divortium venit quævis copula naturalis, sodomitica, aut bestialis, quia per quamlibet ex his conjux dividit suam carnem contra fidem alteri conjugi in Sacramento datam. Non veniunt tactus, oscula, pollutio, aut copula cum femina mortua. Tamb. lib. 8. de Matr. tract. 7. cap. 3. & Clericatus cit.

4278. Hæc libertas divortii est concessa conjugi



Tam in casu affinitatis matrimonio superveniens, quam in casu matrimonii cum voto simplici castitatis celebrati, dispensare possunt ad petendum debitum Episcopi, & ex Privilegio Provinciales Regulares, atque de eorum licentia Confessarii Regulares, qui in casu voti, monere debent penitentem, quod, mortua uxore, non possit licite nubere, sed teneatur ad votum, & quod uxore vivente violet castitatem, nisi cum uxore. Diana p. 1. tract. 8. ref. 16. Tamb. tom. 2. pag. 112. cap. 6. num. 5. Rodr. Leander, Bulemb. & com.

4302. Superiores locales non possunt dispensare ad petendum debitum, nisi ex commissione Provincialis, vel Generalis; quia istis à Pio V. est concessa facultas Peyr. tom. 2. q. 1. cap. 4. §. 4. num. 76. Diana p. 3. tract. 2. ref. 14. & Bott. Quæ deputatio durat ad libitum Superioris.

4303. Insuper ipsi Provinciales, aut Generales, & Confessarii ab eis ad id specialiter deputati, non possunt dispensare, nisi in Sacramento Confessionis, & in propriis domibus, seu Ecclesiis tantum. Diana in Summa, verb. Incestus, num. 3. quia hoc exprimit Privilegium.

4304. Bonac. quest. 4. de Matr. punct. 2. Diana p. 3. tract. 5. ref. 12. Castrop. & alii, apud Dianam sic tenent, quod sciens dictam affinitatem ex copula, vel cognationem spirituales ex susceptione propriæ prolis in Baptismo, aut Confirmatione cum propria uxore contractam, ignorans tamen, inde oriri poenam privationis juris ad petendum debitum, talem poenam non incurrat, ac proinde dispensatione non indigeat, quia ignorantia poenæ à lege positiva impositæ excusat à poena. Ita illi contra Leandrum de Matr. tract. 9. dist. 25. quest. 62. Confessarius tamen, in hac opinione, penitentem de impedimento monere debet, ut sic ab incestu deterreat.

## CAPUT XII.

DE USU MATRIMONII, ET ALIIS  
obligationibus conjugatorum.

4305. Tenetur uxor virum alio abentem, & id requirentem, sequi, nisi aliud sit in contractu conventum, vel nisi inscienter vagabundum duxerit; aut esset factus vagabundus post matrimonium; vel si vir vellet gravari cum periculo animæ, & corporis, vel si gravis necessitas, v. gr. infirmitas ab itinere excusaret.

4306. Non licet conjugibus aliquid facere, unde generatio prolis impediatur, etiam si timeatur in partu periculum, aut paupertas ex copia prolis; quia opponitur fini intrinseco, qui est generatio. Possunt tamen ex mutuo consensu ob id ab usu matrimonii abstinere, non tamen possunt negare debitum, si alter petat.

4307. Vir volens legitimam copulam cum uxore habere, peccat mortaliter, si ut ad eam se excuset,

illam inchoet sodomiticè. Leander cit. quest. 36. contra Nav. qui non est audiendus: quia talis actus, cum sit contra naturam, est medium improportionatum ad copulam naturalem, & sodomiam inchoata.

4308. Copula in vase legitimo, sed situ præpostero, aut alio innaturali, est solum venialis, si non sit probabile periculum effusionis feminis extra vas.

4309. Uxorem peccare mortaliter, si postquam vir feminavit, tactibus se excitet, docet ipsa feminet, tenet Rodr. quem sequuntur Castropal. & Mendo in Epit. verb. Matrim. num. 2. Quia finis generationis, recepto semine viri, est jam perfectus. Et aliàs mulier soluta, si hoc faceret, non committeret peccatum distinctum à copula; quia talis provocatio, & feminatio post consumationem copulæ spectaret ad generationem.

At communior sententia negat, peccare. Leander de Matr. tract. 9. disp. 25. quest. 14. Diana part. 10. tract. 13. ref. 42. Tamb. lib. 7. Decal. cap. 3. §. 5. num. 18. Lessius, Bonacina, & Clericus, cap. 145. num. 33. Quia illa uxoris excitatio est completio, & excitatio copulæ: Et nimis durum esset, compescere naturam jam irritatam. Insuper est sententia Scoti in 3. dist. 4. quest. unic. quem ultra Scolasticos, medici sequuntur, quod mulier concurrat activè ad generationem per veri feminis emissionem.

4310. Peccat mortaliter vir, si incepta copula, liberè à seminando desistat; quia est contra finem generationis, maxime si tactibus extra vas se polluat. Insuper peccat; quia mulierem irritatam relinquit, & inde in periculo gravi peccandi: Peccat enim mortaliter mulier, si tunc irritata tactibus se excitet, ut feminet; quia hoc Doctores, n. 4309. recensiti concedunt intuitu feminis virilis jam suscepti, sine quo certum est, finem generationis frustrari.

4311. Peccat mortaliter mulier, si semine suscepto mingit, se erigit, aut invertit taliter, ut semen foras eiciatur, si non ex accidenti, sed studiosè faciat, animo impediendi conceptionem. Clericus cit. num. 30.

4312. Certò tamen probabile est, quod viro seminante, non teneatur mulier seminare, quia certò probabilis est sententia D. Thom. quod mulier passivè concurrat ad generationem subministrando materiam, minime activè per veri feminis emissionem.

4313. Conjug in absentia alterius conjugis libidinose se tangens, peccat mortaliter, etiam si non adit pollutionis periculum; quia hic actus, cum non fiat cum conjugè, non est conjugalis, nec ad finem conjugii ordinatur; quæ est ratio à mortali excusans tactus impudicos inter conjuges, ut in num. 2239. Ita Mendo in Epit. verb. Matr. num. 3. Qui tamen vocat certò probabilem ab autoritate extrinsecæ sententiam docentem, solum venialiter peccare, quam tenet Tamb. lib. 7. Decal. cap. 3. §. 5. à num. 41. Clericus cit. num. 39. Palud. Ludov. Lopez, Tho-

Thomas Sanchez, & alii apud ipsos. Vide num. 2239.

4314. In casu impotentiae, si impotentia sit antecedens matrimonium, ea cognita, ut in num. 4137. & 4145. ac proinde si adit periculum incontinentiæ, conjuges recurrere debent ad Episcopum pro separatione, & ut declaret matrimonii nullitatem. Quod si non adit periculum incontinentiæ, cohabitare debent ut Frater, & Soror, adeoque non possunt uti oculis, & tactibus impudicis sine mortali; quia cum eorum matrimonium ratione impotentiae sit nullum, sunt sicut soluti. Sanchez de Matr. lib. 7. dist. 97. cum Tancr. & com.

4315. Si impotentia sit superveniens matrimonio, validum remanet matrimonium; quia matrimonium semel validum semper est validum, ex cap. Hi quia, 32. q. adeoque eis non esse prohibita oscula, tactus, &c. si periculum pollutionis non addit, idque ratione status conjugalis, propter jus, quod habent ad copulam, saltim ad concupiscentiam sedandam mutuum amorem fovendum, tenet Sanchez lib. 9. dist. 44. num. 22. ibid. disp. 17. num. 19. & 20. Tamb. tom. 2. de Matrim. lib. 8. tract. 1. cap. 13. §. 13. & Clericus cap. 133. num. 99. & 103. Vide dicta de senibus, num. 4295.

4316. Si dos deficiat, tenetur maritus alimenta uxori prestare, tam ex charitate, quam ob servitia, & obsequia ab ea præstita. E converso uxor tenetur alere maritum, pauperem effectum, aut ad carceres, vel tremeas damnatum, si tamen ipsa possibilitatem habeat, vel ex bonis dotalibus, aut paraphernalibus, vel alio modo acquisitis. Ita Clericus cap. 145. num. 8. ex Tamb.

4317. Nominè alimentorum veniunt omnia necessaria ad victum, vestes, habitationem, servos, &c. juxta decentem conditionem status.

4318. Maritus tenetur pro viribus, & juxta suam conditionem alimenta prestare uxori, duobus exceptis casibus. 1. Si absque causa nolit cum eo cohabitare. 2. Si maritus dotem promissam consequi non possit, & parentes, qui eam debent, sint habiles, & nolint dare. Clericus cap. 145. num. 8. cum Tamb. lib. 5. in Decal. cap. 3. §. 3.

4319. Si uxor ex justa causa recedit à domo mariti, quatenus, v. gr. est adulter, &c. tenetur maritus, uti supra, ei alimenta prestare extra do-

num, etiam si uxor aufugerit, sed culpa mariti. At si aufugit ex propria culpa, non potest maritus ad alimenta danda cogi; quia qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet. L. Julianus 13. & ex aliis juribus. In qua re attendenda est praxis.

## ANTEPHATUM

4320. EST donatio, que fit à marito uxori propter nuptias.

A marito enim post mortem præter dotem, quæ uxori restituitur, elargitur alia summa pecuniæ ob nuptiarum amorem, quæ Antephatum nuncupatur, quæque donari solet judicio, & arbitrio prudentis, attentis conditione, & bonis mariti, atque uxoris, & juxta diversitatem solent esse quinquaginta, centum, quinque centum, mille scuta, &c. juxta locorum praxim, consuetudinem, & maxime dari solet intuitu virginitalis.

4321. Supposita paritate conditionis, viduis debetur medieta antephati, quod donatur virginibus,

## QUÆRES:

4322. An Antephatum intuitu virginitalis lætetur à puella prius ab alio corrupta, quæ communitè putabatur virgo?

R. Esp. affirmativè. Diana part. 8. tract. 6. ref. 129. Tancr. tom. 1. de Matrim. quest. 41. Sanchez lib. 6. dist. 27. num. 4. Dixi: ab alio corruptas quia si supponatur corrupta ab eodem, cui postea nupit, non est dubium, quod lætetur.

Ratio assertiois illa, quæ nomine virginis in jure semper præsumitur illa, quæ communi opinione existimatur virgo. Hac ratione in num. 2560. diximus, legatum pro maritanda virgine lucrari à puella clam corrupta. Diana part. 2. tract. 2. ref. 52.

De Donationibus inter conjuges, vide n. 2372. De Oculis, & amplexibus inter sponfos de futuro vide num. 2227.

De Consensu parentum in nubendo vide num. 2039.

De Matrimonio fusè, & plenè agunt Scotus in 4. à dist. 26. ad 41. Maltrius disp. 20. Tamb. tom. 2. Diana part. 3. tract. 4. & alibi. Leander & per duos Tomos Sanchez, & Tancr.

